UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jnstitutio moralis philosophie metrica

Horatius Flaccus, Quintus

Dauentrie, 1504

Ad Eundem

urn:nbn:de:hbz:466:1-70184

Visual Library

Dicet eques: ſed equi frenato eſt auris in ore
Maior vtrum populum frumenti copia paſcat
Collectos ne bibant imbres puteoſue perennes
Jugis aque: nam vina nihil moror illius ore
Rure meo poſſum quiduis perferre patiq;
Ad mare cum venio generoſum ⁊ lene requiro
Quod curas abigat. quod cum ſpe diuite manet
In venas animumq; meum quod verba miniſtrat
Quod me lucane iuuenem commendat amice
Tractus vter pluris lepores vter educet apros
Vtra magis piſces ⁊ echinnos equora celent
Pinguis vt inde domum poſſim pheaxq; reuerti
Scribere te nobis: tibi nos ac credere par eſt

Argumentum epiſtole. xvi.

Exemplo huius hominis in eos inuehitur q̃ alligurito patrimonio ſcurre paraſitiq; effecti aliena vorant dicuntq;: nihil eſſe beatius victu ſplendido ⁊ affluenti Cum autem a nullo accepti ſordido victu domi viuere coguntur frugalitatem ſummis laudibus extollunt hoc demum vicium ſolita ſua ironia nequempiā offendat, in ſe tranſfert poeta

An Eundem

Meuius vt rebus maternis atq; paternis
Fortiter abſumptis: vrbanus coepit haberi
Scurra vagus: non qui certum preſepe teneret
Impranſus: nec qui ciuem dignoſceret hoſte
Quolibet in quemuis opprobria fingere ſeuus
Pernicies ⁊ tempeſtas baratrumq; macelli
Quicquid queſierat ventri donabat auaro
Hic vbi nequicie fautoribus ⁊ timidis nil

Aut paulum abſtulerat: patinas coenabat omaſi
Vilis ⁊ agnini: tribus vrſis quod ſatis eſſet
Scilicet vt ventres lamna candente nepotum
Diceret vrendos correptus: beſtius idem
Quicquid erat nactus prede maioris: vbi omne
Verterat in fumum ⁊ cinerem non hercule miror
Aiebat. ſi qui comedunt bona: cum ſit obeſo
Nil melius turdo nil vulua pulchrius ampla
Nimirum hic ego ſum: nam tuta ⁊ paruula laudo
Cum res deficiunt, ſatis inter vilia fortis
Verum vbi quid melius contingit: vnctius: idem ⁊
Vos ſapere: ⁊ ſolos animo bene viuere: quorum
Conſpicitur nitidis fundata pecunia villis

Argumētum epiſtole. xvij.

Mirifice reprehendit ſtulticiā ⁊ vanitatē Quintij qui cum ſit vicijs infectus tamen adulatorib⁹ aures prebeat. ⁊ talis eſſe credat qualis ab illis dicitur Concludit ergo non eſſe credendum que de nobis populus dicat. neq₃ letandum falſis laudibus neq₃ dolendum falſa infamia. Utitur tamen a principio veluti inſinuatione quadam. deſcribit eī agrum ſuum vt mētem hominis demulcendo patientem ad audiendum preparet

Ad Quintium

Ne percuncteris fundus meus optime Quinti
Aruo paſcat herum an baccis opulenter oliue
Pomiſne ⁊ pratis. an amicta vitibus vlmo
Scribentur tibi forma loquaciter ⁊ ſitus agri
Continui montes niſi diſſocientur opaca
Valle: ſed vt veniens dextrum latus aſpiciat ſol
Leuum deſcendens curru fugiente vaporet
Temperiem laudes. quid ſi rubicunda benigne